

1509 rent. quæ res sane grata illis fuit, non tam quidem quod ea magnopere levarentur, quam propterea quod exemplo aliis civitatibus esse poterant amanter se in rempublicam gerendi. At cum ad urbem venisset Gasparis Severinatis scriba, exposuissetque Patribus, magna illum difficultate propter Julii edictum ad vicinos Cremonæ oppidi fines se se unum in veste pastorali contulisse: nam suos equites secum adducere nequaquam potuisse: quæsissetque quid illum facere Patres vellent; responderunt, uti quantum posset, ipsorum ad exercitum suum adventum maturaret: statutum enim sibi esse, Liviani equites ei tradere. Ille vero spreta reipublicæ conditione, ad regem Galliæ postea se contulit rogatum, uti se Maximiliano commendaret, peteretque ab illo, ut in Citadellæ principatum, quem pater suus obtinuerat, se restitueret: scire enim, nihil illi Maximilianum negaturum. Ferrariæ vero Prodromius Aloisius Mula Patribus significavit, clade exercitus reipublicæ cognita, magnæ voluptatis signa cives illos misse, plebemque omnem vocibus procacioribus & tympanorum sonis lætam atque hilarem per oppidum cucurrisse: Alfonsum autem ducem, quem ipse adierit, nolle se tutum sua in urbe præstare, propterea quod dicat incitatæ plebis studia non posse contineri: itaque illi, ut discederet, suassisse: redire postea posse, cum belli fervor, & interdicti Juliani acerbitas atque injuria resederit. Quibus rebus cognitis, Mula Senatus consulto revocatus, medio e magistratu decadens domum rediit.

Jamque regi omnibus fere populis se dendentibus, quod a reipublicæ copiis nullum eis præsidium afferebatur, Senatus jussit, uti milites ad decem millia, quo celerius fieri posset, conscriberentur, quorum tribuni centurionesque partim a magistratibus in civitate, reliqui in castris legarentur: equites ad tria millia utriusque armaturæ conficerentur. Ea postea res quod nullum prope habitura exitum in tanta rerum omnium perturbatione videbatur: nam neque in urbe, qui vellent dare nomina reperiebantur: imperatoris autem & legatorum jussa vulgo despiciebantur:

ple-